

EPISTULA LEONINA

CLVIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DUODESEXAGESIMAM (158) !

ARGUMENTA

THAMAR ET AMNON (<i>VULGATA/ Lairesse</i>).....	03
DE MORTE CLEOPATRAE (<i>Teresi</i>).....	04-08
FABULA CRIMINALIS: Vir alter (<i>Schirach/LEO LATINUS</i>).....	09-21

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam duodesexagesimam. –

*Hac in Epistulâ Leoninâ agitur de tribus mulieribus extraordinariis: Prima est **Thamar** mulier Libri Samuelis clarissima, cui ab Amnone vis affertur; altera est **Cleopatra** Aegypti regina famosissima Caesaris et Marci Antonii amasia, tertia est quaedam **patrona in fabulâ Ferdinandi de Schirach lusus venereos ludens periculosas...***

Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 158 tolle et lege et laetare...!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 18. m.Mart. a.2018**



»Veni, cuba mecum, soror mea«.

THAMAR ET AMNON. Pinxit Gérard de Lairesse (1641-1711).

VULGATA 2 Samuel 13,1-19: 1 Factum est autem post hæc ut Absalom filii David sororem speciosissimam, vocabulo **Thamar**, adamaret **Amnon** filius David, 2 et deperiret eam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret: quia cum esset virgo, difficile ei videbatur ut quippiam inhoneste ageret cum ea. 3 Erat autem Amnon amicus nomine Jonadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde. 4 Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie, filii regis, per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo. 5 Cui respondit Jonadab: Cuba super lectum tuum, et languorem simula: cumque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, et faciat pulmentum, ut comedam de manu ejus. 6 Accubuit itaque Amnon, et quasi ægrotare cœpit: cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, et cibum capiam de manu ejus. 7 Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, et fac ei pulmentum. 8 Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem jacebat. Quæ tollens farinam commiscuit, et liquefaciens, in oculis ejus coxit sorbitiunculas. 9 Tollensque quod coxerat, effudit, et posuit coram eo, et noluit comedere: dixitque Amnon: Ejicite universos a me. Cumque ejecissent omnes, 10 dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas quas fecerat, et intulit ad Amnon fratrem suum in conclave. 11 Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, et ait: **Veni, cuba mecum, soror mea.** 12 Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me: neque enim hoc fas est in Israël: noli facere stultitiam hanc. 13 Ego enim ferre non potero opprobrium meum, et tu eris quasi unus de insipientibus in Israël: quin potius loquere ad regem, et non negabit me tibi. 14 Noluit autem acquiescere precibus ejus, sed prævalens viribus oppressit eam, et cubavit cum ea. 15 Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, et vade. 16 Quæ respondit ei: Majus est hoc malum quod nunc agis adversum me, quam quod ante fecisti, expellens me. Et noluit audire eam: 17 sed vocato puero qui ministrabat ei, dixit: Ejice hanc a me foras, et claude ostium post eam. 18 Quæ induta erat talari tunica: hujuscemodi enim filiæ regis virgines vestibibus utebantur. Ejecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam. 19 Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, et clamans.

DE MORTE CLEOPATRAE

HORATIUS, Carmen I 37:

Nunc est bibendum, nunc pede libero
pulsanda tellus; nunc Saliaribus
ornare puluinar deorum
tempus erat dapibus, sodales.

Antehac nefas depromere Caecubum
cellis auitis, dum Capitolio
regina dementis ruinas,
funus et imperio parabat

contaminato cum grege turpium
morbo uirorum quidlibet inpotens
sperare fortunaque dulci
ebria sed minuit furorem

vix una sospes nauis ab ignibus
mentemque lymphatam Mareotico
redegit in ueros timores
Caesar ab Italia uolantem

remis adurgens, accipiter uelut
mollis columbas aut leporem citus
venator in campis niualis
Haemoniae, daret ut catenis

fatale monstrum. Quae generosius
perire quaerens nec muliebriter
expauit ensem nec latentis
classe cita reparauit oras,

ausa et iacentem uisere regiam
vultu sereno, fortis et asperas
tractare serpentes, ut atrum
corpore conbiberet uenenum,

deliberata morte ferocior;
saeuis Liburnis scilicet inuidens
priuata deduci superbo,
non humilis mulier, triumpho.

De tradendi ratione Plutarchi

PLUTARCHUS, Antonius 85, 2-86

μετὰ δὲ τὸ ἄριστον ἢ Κλεοπάτρα δέλτον ἔχουσα γεγραμμένην καὶ κατασεσημασμένην ἀπέστειλε πρὸς Καίσαρα, καὶ τοὺς ἄλλους ἐκποδῶν ποιησαμένη πλήν τῶν δουεῖν ἐκείνων γυναικῶν τὰς θύρας ἔκλεισε.

[3] Καῖσαρ δὲ λύσας τὴν δέλτον, ὡς ἐνέτυχε λιταῖς καὶ ὀλοφυρμοῖς δεομένης αὐτὴν σὺν Ἀντωνίῳ θάψαι, ταχὺ συνῆκε τὸ πεπραγμένον. καὶ πρῶτον μὲν αὐτὸς ὥρμησε βοηθεῖν, ἔπειτα τοὺς σκεψομένους κατὰ τάχος ἔπεμψεν. ἐγγόνει δ' ὄξυ τὸ πάθος. δρόμῳ γὰρ ἐλθόντες καὶ τοὺς μὲν φυλάττοντας οὐδὲν ἡσθημένους καταλαβόντες, τὰς δὲ θύρας ἀνοίξαντες, εὗρον αὐτὴν τεθνηκυῖαν ἐν χρυσῇ κατακειμένην κλίνῃ, κεκοσμημένην βασιλικῶς. [4] τῶν δὲ γυναικῶν ἢ μὲν Εἰράς λεγομένη πρὸς τοῖς ποσὶν ἀπέθνησκεν, ἢ δὲ Χάρμιον ἤδη σφαλλομένη καὶ καρηβαροῦσα κατεκόσμη τὸ διάδημα τὸ περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς. εἰπόντος δὲ τινος ὀργῆ: 'καλὰ ταῦτα, Χάρμιον!' 'κάλλιστα μὲν οὖν,' ἔφη, 'καὶ πρόποντα τῇ τοσοῦτων ἀπογόνῳ βασιλέων.' πλέον δὲ οὐδὲν εἶπεν, ἀλλ' αὐτοῦ παρὰ τὴν κλίνην ἔπεσε.

86. λέγεται δὲ τὴν ἀσπίδα κομισθῆναι σὺν τοῖς σύκοις ἐκεῖνοις καὶ τοῖς θρίοις ἄνωθεν ἐπικαλυφθεῖσαν, οὕτω γὰρ τὴν Κλεοπάτραν κελεῦσαι, μηδὲ αὐτῆς ἐπισταμένης τῷ σώματι προσπεσεῖν τὸ θηρίον: ὡς δὲ ἀφαιροῦσα τῶν σύκων εἶδεν, εἶπεῖν: 'ἐνταῦθα ἦν ἄρα τοῦτο:' καὶ τὸν βραχίονα παρασχεῖν τῷ δήγματι γυμνώσασαν. [2] οἱ δὲ τηρεῖσθαι μὲν ἐν ὑδρίᾳ τὴν ἀσπίδα καθ' εἰργμένην φάσκουσιν, ἡλακᾶτη δὲ τινι χρυσῇ τῆς Κλεοπάτρας ἐκκαλουμένης αὐτὴν καὶ διαγριαινούσης ὀρμήσασαν ἐμφῦναι τῷ βραχίονι.



MORS CLEOPATRAE. A.1874 pinxit Jean André Rixens. Haec pictura invenitur in Museo Augustinianorum Tolosatiensi.

‘καλὰ ταῦτα, Χάρμιον!’ ‘κάλλιστα μὲν οὖν,’ ἔφη, ‘καὶ πρέποντα τῇ τοσοῦτων ἀπογόνῳ βασιλέων.’

τὸ δὲ ἀληθὲς οὐδεὶς οἶδεν: ἐπεὶ καὶ φάρμακον αὐτὴν ἐλέχθη φορεῖν ἐν κνηστίδι κοίλῃ, τὴν δὲ κνηστίδα κρύπτειν τῇ κόμῃ: πλὴν οὔτε κηλὶς ἐξήνθησε τοῦ σώματος οὔτε ἄλλο φαρμάκου σημεῖον. [3] οὐ μὴν οὐδὲ τὸ θηρίον ἐντὸς ὤφθη, συρμούς δέ τινες αὐτοῦ παρὰ θάλασσαν, ἢ τὸ δωμάτιον ἀφεώρα καὶ θυρίδες ἦσαν, ἰδεῖν ἔφασκον. ἔνιοι δὲ καὶ τὸν βραχίονα τῆς Κλεοπάτρας ὀφθῆναι δύο νυγμὰς ἔχοντα λεπτὰς καὶ ἀμυδράς: οἷς ἔοικε πιστεῦσαι καὶ ὁ Καῖσαρ. ἐν γὰρ τῷ θριάμβῳ τῆς Κλεοπάτρας αὐτῆς εἶδωλον ἐκομίζετο καὶ τῆς ἀσπίδος ἐμπεφυκίας. ταῦτα μὲν οὖν οὕτω λέγεται γενέσθαι.

Sic tradunt mortuam esse Cleopatram, ultimam reginam Aegypti, mulierem et forma et animo insignem. Octavianus, cum diu insecutus Cleopatram cepisset, iussit eam summa diligentia custodiri ne regina, de sua salute desperans, mortem sibi ipsa conscisceret. Sed illa, in suo cubi una cum duabus ancillis inclusa, cum diu cogitavisset quo modo custodes frustrari posset, tandem viam morti invenit. Quodam die senex colonus, qui propter beneficia accepta a Cleopatra ea valde diligebat, a custodibus petivit ut ad reginam admitteretur, dicens se aliquid ei donare velle. Rogantibus illis quod donum gereret, senex ostendit calathum ficorum plenum, foliis opertorum. Custodes, nihil suspicati, colonum ad reginam admiserunt. Cleopatra, dono accepto, senem dimisit. Cum postea calathum diligenter inspexisset, rem miram vidit: inter ficos parva aspis latebat, quam nem animadverterat. Statim regina, ancillis dimissis, vestimenta pulcherrima omniaque insignia regalia induit, postea in lecto recubuit. Tum aspidem e calatho sublatam ad brachium applicuit, cuius veneno mox exstincta est.

Testimonia collegit

Johannes Teresi

VIR ALTER

Fabula criminalis, quam scripsit *Ferdinand von Schirach*,
Latinè reddidit *Nikolaus Groß*



Ferdinand von Schirach (a.2009)

Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium

cfr Epistula Leonina 53, p.7-17; 54, p.4-10; 55, p.4-15; 78, p.18-27; 81, p.12-20.

Paulsbergius stabat iuxta autocinetum suum. Sicut omni vespere, domum iter faciens de viâ deflexerat et per colliculum vectus erat ad suam fraxinum vetustam. Hôc loco puer versans saepe sederat, scholam non obiens ex ligno figuras exsculperat. Fenestras demisit, dies denuo iam fiebant breviores, aer frigidior. Nunc silebant omnia. Hoc momentum diei erat unicum. Telephonum mobile erat oclusum. Hinc Paulsbergius videbat domum, domum, in quâ adoleverat, quam proavus aedificaverat. Quae erat clarè illuminata, arbores hortenses luminaribus irradiabantur, Paulsbergius videbat autoraedas ad viam stantes. Paucis minutis post se ibi fore, convivas iam esse exspectaturos, sibi colloquendum fore de omnibus istis ineptiis, de quibus colloqui solent homines inter se congregati.

Paulsbergius nunc habuit duodequingenta annos. Qui in Germaniâ Austriâque possidebat septendecim tabernas magnas, in quibus vendebat vestimenta virilia pretiosa. Eius proavus condiderat fabricam mercium reticulariarum in valle extremâ, Paulsbergius iam puer omnia de textilibus vestiumque secturis didicerat. Qui fabricam vendiderat.



Defensor poenalis (*Moritz Bleibtreu*) studet exquirere, quale facinus Paulsbergius (*Devid Striesow*) commiserit. Et praecipuê sciscitatur, quâ de causâ reus hoc fecerit.¹

Qui vir cogitavit de uxore suâ. Quacum colloquentes omnes delectatum iri, elegantem, gracilem, venustissimam. Quae habuit triginta sex annos, in grapheo internationali officium gerebat patronae, veste nigrâ induta, capillis apertis. Paulsbergius eam agnoverat in aeriportu Turicensi. Unâ in cafeo exspectaverant aeroplanum retardatum, vir illam iocis ad risum excitaverat. Statuerant, ut inter se convenirent. Duobus annis post connubio coniuncti erant, hoc factum erat ante octo annos. Res potuerant bene evadere.

At deinde illa res facta erat in sudatorio deversorii, quâ omnia erant mutata.

Inde ex nuptiis suis quotannis vehebantur in dies nonnullos ad illud deversorium alpinum in Bavariâ superiore situm. Iis placebat relaxari, dormire, migrare, comedere. Deversorio praemia attributa sunt propter »zonam voluptariam«². Ibi erant balnea vaporea et sudatoria finnica, natabula interna atque externa, fiebant malaxationes et illutationes³.

¹ <https://www.welt.de/kultur/medien/article137635138/Moritz-Bleibtreu-weiss-wie-Menschen-morden.html>

² **zōna voluptāria** orig. *Wellness-Bereich* (= *Wohlfühlzone*).

³ **illutātiō**, -ae f. orig. *Fangopackung*. ital. *fangatura*, *impacco di fango*; angl. *mud pack*, *fango pack*; hisp. *envoltura de fango*; fr. *cataplasme (chaud) de boue minérale*. cfr Friedrich August Schroeter, *Terminoneologietechnisches Woerterbuch*, p.442: "**Illutatio**, das Bestreichen, Ueberziehen eines Gliedes oder Leibestheiles mit dem Schlamme oder Bodensatze eines warmen Bades, beim Hüftweh, bei gichtischen Zufällen, ec."

In stabulo stativo stabant autoraedae fabricationum *Mercedes, BMW, Porsche*. Nam pares cum paribus facile congregantur.



Ecce Venus vagabunda. Uxor Paulsbergii (*Bibiana Beglau*) libenter ludit lusûs venereos cum viris alienis. Aliquamdiu maritus hos lusûs aspectans videtur pati aequo animo, sed subito corripitur amoris rivalitate...

Paulsbergius, sicut plerique viri ei coaequales, corpus fecerat, sed uxor eius melius servaverat staturam iuvenilem. Itaque vir uxore suâ superbiebat. Ambo unâ sedebant in sudatorio. Paulsbergius observavit iuvenem uxorem suam torpidis oculis aspectantem, qui erat capillis nigris, vir australis, fortasse Italianus, formâ bonâ, cute laevi et fuscâ, aetate viginti quinque ferê annorum. Qui vir alienus uxorem Paulsbergii aspectabat tamquam bestiam formosam. Quae erat animo perturbato. Ille feminae arrisit, ea oculos avertit. Deinde ille vir surrexit pene semierecto¹, iit versus exitum, constitit ante eam, se convertit ad eam, ut sexus² suus appareret coram eâ. Paulsbergius modo erat interventurus, cum ille vir manutergium coxis circumvolvens ei annuit.

Postea coniuges in conclavi sedentes de hac re factâ iocati sunt. Cenantes virum alienum conspexerunt, uxor Paulsbergii illi arridens erubuit. Per vesperi partem reliquam coniuges inter se collocuti sunt de viro alieno, et nocte mentibus finxerunt, quomodo fieri posset, ut

¹ *sēmiērēctus, -a, -um orig. *halbergiert*. cfr nomen botanicum, q.e. *Phaseolus semierectus*.

² sexus, -ūs m. orig. *das Geschlecht*. sensu metonymico, cfr PLIN.nat.22,90; LACT.1,21,16.

cum illo coirent. Longâ pausâ interiectâ hac nocte denuo unâ concubuerunt. Vicissim commovebantur et angore et lubidine.

Postridie iterum eodem tempore in sudatorium ierunt, ubi iam exspectabat vir alienus. Femina ad ianuam iam aperuit manutergium suum, lentê nuda praeteriit virum alienum, ea scivit, quid esset actura, et voluit illum hoc scire. Qui surrexit iterumque coram eâ constitit. Quae sedit in subsellio. Femina primo virum alienum aspexit, deinde Paulsbergium. Paulsbergius lentê annuit, deinde dixit magnâ voce: »*Agedum*«. Femina penem viri alieni manu apprehendit. Paulsbergius autem per vaporem sudatorii vidit bracchium uxoris rhythmicê moveri necnon vidit dorsum viri iuvenis ante uxorem stantis, quod erat colore olivaceo, umore splendido. Nemo locutus est, Paulsbergius audivit virum alienum anhelare, vidit bracchium uxoris retardari. Deinde ea se ad Paulsbergium convertit monstrans faciem corpusque sui reliquum conspersa esse spermate viri alieni. Vir alienus manutergio sumpto sudatorium tacitus reliquit. Coniuges autem in aestu remanserunt.

—

Coniuges similem lusum venereum primo experti sunt in sudatoriis publicis, deinde in coetibus venerivagis¹, denique praeconia imposuerunt interreti. Qui constituerunt regulas: Ne vis afferretur, ne fieret amor, ne conventus fierent domi. Coniuges omnia voluerunt interrumpere, si quis non bene se haberet. At numquam aliquid interruperunt. Primo Paulsbergius praeconia scripsit, deinde uxor hoc fecit, paginis interretialibus imposuerunt photographemata personata. Rem per quattuor annos factam optimê calluerunt. Interim invenerant deversorium rurale satis secretum atque taciturnum. Ibidem diebus septimanae finalibus conveniebant viros, qui praeconiis suis responderant. Paulsbergius dicebat se offerre uxorem suam adhibendam. Ambo credebant hunc esse lusum, sed post multos conventûs haec res non iam erat lusum, sed facta erat pars eorum ipsorum. Uxor Paulsbergii adhuc erat patrona, adhuc erat mulier splendida et inaccessibilis, sed diebus septimanae finalibus ea facta est res obiecta, quae ab aliis adhibebatur. Ambo hoc volebant. Hoc sic fiebat. Hoc non poterat explicari.

¹ *coetus venerivagus* orig. *Swingerclub*, ubi colitur venus desultoria.

Nomen epistolio electronico¹ inscriptum Paulsbergio prorsus fuerat ignotum, nec îdem ulli viro sibi nôto scivit attribuere photographema, iam pridem non aspiciebat imagines a viris missas. Uxor illi viro rescripserat, nunc is ante coniuges stetit in oeco deversorii: Paulsbergius eum leviter tantum noverat, triginta annis ante fuerat eius condiscipulus. Ibidem nihil unâ fecerant, ille fuerat discipulus classis parallelae. Ambo in sedilibus² lobiae³ deversorii praealtis consedentes inter se narraverunt res, quas condiscipuli semper inter se narrant, loquebantur de magistris quondam suis, de amicis, quos ambo noverant et conati sunt oblivisci, quâ de causâ convenissent. Tamen res facta non est melior. Vir alter sibi mandavit vischium⁴ loco cervesiae, loquebatur voce nimis magnâ. Paulsbergius noverat societatem mercatoriam, pro quâ ille operabatur, qui erat eiusdem rami⁵. Tres cenaverunt, vir alter nimium potavit. Qui amorem ludit cum uxore Paulsbergii, dixit eam esse pulchram atque iuvenem. Dixit se Paulsbergio invidere et bibere perrexit. Paulsbergius voluit abire. Eius uxor coepit de venere loqui, de viris, qui sibi mitterent imagines, qui se convenirent. Aliquando alterius viri manus imposuit suam. Abierunt in conclave illud, quod semper conducebant.

Altero viro cum uxore suâ concumbente Paulsbergius in stibadio sedebat. Qui aspectavit imagines lecto superpositas: Mulier iuvenis ad mare stat, artifex eam a tergo pinxerat, ea gerit vestem balnearem caeruleo-albam, qualis gerebatur annis tricenariis. Paulsbergius cogitavit: ‘Certê illa est valdê pulchra’. Illam aliquando conversam pictori esse arrisuram et cum eo domum esse ituram. Paulsbergius recordatus est se nunc cum uxore coniunctum esse ex octo annis.

Postea cum essent sôli in autocineto, ambo tacuerunt; uxor ex sede convectoriâ in tenebras prospiciebat, usque dum domum advenirent. Nocte Paulsbergius in coquinam iit, ut hyalum aquae biberet, et

¹ **epistolium electronicum** orig. *E-mail*.

² **sedile praealtum** orig. *Barhocker*. [Helfer, *Lexicon auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.107 s.v. Barhocker: Eichenseer 81,37]

³ **+lōbia**, -ae f. orig. *Lobby* [Helfer, *op.mem.*, p.351, s.v. Lobby: → Skeat 61,345; 1201, DuC]

⁴ ***vischium**, -iīn. orig. *Whisky*. [Helfer, *op.mem.*, p.618, s.v. Whisky]

⁵ **rāmus**, -ī f. orig. *Branche*. [Helfer, *op.mem.*, p.136, s.v. Branche: KASSICS 1851: Praxis politica civilis et stylare politicorum Latino-Hungaricum, Preßburg 1851,1,127]

reversus in uxoris mensulâ nocturnâ vidit othonidium¹ telephoni lucere.

Quae iam pridem sumebat *prozacum*, id est medicamentum antidepressivum. Cum crederet se huic medicamento esse obnoxiam, numquam domum relinquebat nisi cum fasciculo huius medicamenti albo-viridi. Uxor nescivit, quare illorum virorum lubidinem expleret. Interdum nocte, cum in domo omnia silebant, cum Paulsbergius dormiebat, cum ea ipsa non iam patiebatur cifras suscitabili sui lucidê-virides, se induebat et ibat in hortum. Mulier recumbebat in aliquâ e sellis cubitoriis ad natabulum stantibus, prospiciebat in caelum, exspectabat sensum, quem noverat ex illo tempore, quo mortuus erat pater. Quem sensum vix patiebatur. Sentiebat in viâ lacteâ esse miliardas systematum solarium necnon miliardas talium viarum lactearum. Quibus nihil interesse nisi frigus atque vacuitatem. Haec mulier regimen rerum amiserat.

Paulsbergius virum illum alterum iam pridem oblîtus erat. Qui particeps fuit conferentiae annuae, quam quotannis associatio habebat Coloniae Agrippinae. Paulsbergius stetit in oeco ientaculario² ad mensam dapiferam³. Tum vir alter nomen eius evocavit. Paulsbergius se convertit.

Subito mundus motus est lentius, factus est viscosus. Postea recordatus est omnem imaginem, butyrum in aquâ glaciali natans et receptacula iogurthi multicoloria et mappulas rubras et quadras farciminis, quae impositae erant porcellano deversorii albo. Paulsbergius cogitavit virum alterum aspectu esse illorum amphibiorum caecorum. Quae animalia îdem viderat in Iugoslaviae cavernis tenebrosis. Illo tempore tale amphibium captaverat, quod per totum iter ad deversorium factum manu tenuerat, nam voluerat idem animal matri monstrare. At manu apertâ illud amphibium fuerat mortuum. Vir autem alter erat facie rasitando laevigatâ, oculis aquosis, superciliis angustis, labiis torosis, ferê caeruleis. Quibus iste

¹ **othonidium*, -iī n. orig. *Display*.

² *oecus ientaculārius* orig. *Frühstücksraum*. 2. cfr Statvta Almae Vrbis Romae Auctoritate S. D. N. D. Gregorii Papae XIII. Pont. ... Romae 1580, L.III, p.171: Nullus furnarius, neque *ientacularius*, sive ciambellarius, nec etiam uermicellarius, audeat vel praesumat per se uel alium frumentum in platea Campi Florae quoquo modo emere:...

³ *mēnsa dapifera* orig. *Büfett*.

osculatum esse uxorem suam. Lingua viri alterius movebatur lentissimê, allidit ad dentium anteriorum latus interius, cum ille



Semper sunt momenta temporis, quibus res in extremum est adducta discrimen: Tale momentum nunc assecuti sunt vir alter (Matthias Matschke h.) et Paulsbergius (Devid Striesow v.).

nomen appellaret Paulsbergii. Is autem vidit fila salivae colorum expertia, poros linguae insitos, vibrissas nasi longas tenuesque, laryngem, quâ extrinsecus durê premebatur cutis rubicunda. Paulsbergius non intellexit verba, quae vir alter fecit, sed vidit puellam illam veste balneari caeruleo-alba indutam, quae ad se conversa subrisit, deinde digito monstravit virum angustum, qui genua flexerat super uxorem suam. Paulsbergius sensit cor suum a palpitando desistere, mente finxit se delabentem secum deripere mensae mantele. Īdem se vidit mortuum prostratum esse inter orbiculos aranciorum et botulos albos et caseum recentem. At non delapsus est. Momento tantum temporis sibi visus est delabi. Alteri annuit.

In conferentiâ associationis sermones habiti sunt soliti. Aspectabantur praesentationes, thermophoris argenteis offerebatur cafea filtrata. Post nonnullas horas nemo iam auscultavit sermones. Nihil factum est extraordinarii.

Post meridiem vir alter vênit in conclave Paulsbergii. Unâ biberunt cervesiam, quam ille secum attulerat. Qui etiam secum attulerat cocainum et Paulsbergio lineam huius pulveris obtulit, quem in

mensam vitream defusum naso hausit per schedinummmum convolutum.



E vasculo cinerario destillat sanguis. Paulsbergius (Devid Striesow) quaerit ex se ipso, quomodo hoc fieri potuerit.

Cum vir alter balneum erat initurus, ut manûs suas lavaret, Paulsbergius eum secutus est. Ille stabat ante aquaemanile, dorsum flexerat, ut faciem lavaret. Paulsbergius vidit aures alterius, vidit marginem collaris camisiae decoloratum.

Non potuit, quin facinus faceret.

Nunc Paulsbergius in lecto sedebat. Hoc conclave deversorii simile erat sescentis aliis, in quibus is dormiverat. In fusco frigidariolo¹ duo laterculi socolatei², arachides instrictae³, flavum aperculum lagoenarum e materiâ plasticâ fabricatum. Balneo autem inerat odor antisepticorum saponisque liquidi necnon titulus lamnis fictilibus

¹ *frigidariolum, -iī n. orig. *Minibar*. cfr Joh Brignoli v. Brunhoff, Horti botanici R. Archigymnasii Mutinensis historia...1841, p.33 sq.: "Expetita ideo Hypocaustorum ampliacione, munificentia Optimi Principis fel regn. Jussit, ut eorum novum prope horti ingressum ubi olim **frigidariolum** extabat, construeretur, quod mox anno 1821 factum fuit." – cfr Helfer, op.mem., p.334, s.v. **Kühlschrank**: "**frigidarium**, -iī n. [Steinbach 1734, 1,849]" - cfr Wikipedia s.v. *Minibar*: „**Eine Minibar ist ein kleiner Kühlschrank**, in dem generell Getränke und/oder Snacks aufbewahrt werden. *Minibars* sind hauptsächlich in Hotelzimmern im Einsatz, um dem Gast rund um die Uhr kühle Getränke bereitzustellen...“

² **laterculus socolāteus** orig. *Schokoladenriegel*.

³ **arachidēs instrictae** orig. *eingeschweißte Erdnüsse*.

affixus, cui inscriptum erat manutergiis compluries adhibendis foveri circumiecta.

Oculis clausis Paulsbergius recordatus est equum. Mâne pontem transierat, deinde per pontem lapideum ad prata Rheni riparia, in nebulam matutinam, quae e flumine ascendebat. Subito autem ante eum steterat ille equus, vaporans, naribus lucidê rubris mollibusque.

Aliquando autem necessarium fore, ut cum uxore telephoneret. Illam ex se quaesituram esse, quando reveniret. Illam narraturam esse de die suo, de hominibus in grapheo versatis, de purgatrice, quae clauderet vasa purgamentaria nimio cum strepitu, deque omnibus rebus illis aliis, quae ad vitam uxoris valerent. Se non locuturum esse de viro altero. Et deinde se ambos telephono deposito conaturos esse vitam producere.

Paulsbergius audivit virum alterum in balneo gementem; sigarellum hyalo aquae iniecit semipleno, sumpsit peram itinerariam, conclave reliquit. In receptorio¹ rationem nummariam solvens dixit praestare in conclavi res disponi celeriter. Puella post abacum venalicium stans Paulsbergium aspexit, sed is praeterea nihil dixit.

Viginti minutis post inventus est vir alter. Qui vitâ superavit.

—

Paulsbergius facinus fecerat vasi illo cinerario, quod inerat conclavi. Hoc vas confectum erat ex opaco vitro fumido, annis septuagenariis, crassum atque ponderosum. Medicus forensis postea dixit vulnus effectum esse violentiâ obtusâ, nam margines impactionum non potuerunt definiri. Vas cinerarium erat instrumentum aptum ad hoc facinus committendum.

Paulsbergius viderat caput viri alterius esse perforatum, vidit sanguinem ex foraminibus scaturire, eundem limpidiorem esse, quam exspectaverat. Paulsbergius cogitavit »iste non morietur« cranion percutere pergens »sanguinem effundit, sed non moritur.« Denique Paulsbergius virum alterum inter pyelum sellamque familiaricam

¹ receptōrium, -īī n. orig. *Rezeption*.

presserat, faciem eius operculo sellae familiaricae imposuerat appressam. Paulsbergius voluerat ultimo impellere. Lacertum excussit. Capilli viri alterius erant conglutinati, in sanguine visi erant duri, quasi essent clavi nigri cute capitis albâ circumdati. Subito Paulsbergius cogitaverat de uxore suâ. Recordatus erat se uxoremque suam primo inter se valedicentes, ante decem annos, mense Ianuario, tempestate gelidissimâ, quâ in viâ ante aeriportum stantes friguerant. Paulsbergius recordatus erat calceos uxoris nivi tabidae impressos, amiculum eius caeruleo magnis botonibus instructum, illam collare collo apposuisse, manu replicaturam clausam tenentem, illam risisse, illam fuisse solam et pulchram et violatam. Cum illa taxiraedam inscendisset, is sciverat illam pertinere ad se.

Paulsbergius cinerarium in pavimento deposuerat; astyphylaces idem vasculum postea invenerunt inter strias rubras lamnarum fictilium positum. Paulsbergio abeunte vir alter adhuc submissê singultaverat. Paulsbergius non iam voluerat eum necare.

—

Causa iuridica praecipua incohata est quinque mensibus post. Paulsbergius accusatus erat homicidii attentati. Actor publicus dixit eum conatum esse virum alterum a tergo occîdere. In libello accusatorio scriptum erat actum esse de cocaino. Actor publicus rem melius scire non potuit.

Paulsbergius nullam causam dixit facinoris, nihil dixit de viro altero. Unicum quod comprehensus dixerat astyphylacibus, fuit hoc: »Telephonate cum uxore meâ«, plura non erant indicia. Iudices quaesiverunt causam facinoris. Nemo in conclavi suo deversorii alium ultro occîdit, actor publicus nullam invenerat rationem, quae inter eos viros intercederet. Psychiater dixerat Paulsbergium esse »prorsus normalem«, in eius sanguine nullae inventae sunt drogae, nemo credidit eum homicidium fecisse voluptate necandi.

Unicus homo, qui posset rem explicare, fuit vir alter. At is quoque tacuit. Iudicibus non licuit eum cogere, ut rem ediceret. Astyphylaces in eius sacco et in mensâ vitreâ invenerant cocainum, ei, cum in se

inquirebatur, licuit tacere, nam alioquin edicendo testis prodiisset in se ipsum.

Scilicet non necessarium esse iudices causam rei novisse, ut eum condemnent. At iidem scire volunt, quâ re homines id faciant, quod faciunt. Non nisi hoc intellegunt, reum punire sciunt secundum eius culpam. Nisi intellegunt, poena ferê semper fit gravior.

Iudices nesciverunt Paulsbergium tutari velle uxorem suam. Haec fuit patrona, is scelus commiserat. Mulier nondum dimissa erat a graphei sui praepositis: Nemo culpam contraxit mariti mente capti. At patroni mulieris collegae cum veritatem, si accepissent, id est si de viris illis alienis audivissent, non comprobavissent, mulier non iam potuisset operari in grapheo. Paulsbergius de hac re diiudicandâ liberum arbitrium permisit uxori suae. Ea ut faceret, id quod ipsa comprobaret.

Uxor Paulsbergii apparuit sine adiutore testis. Quae visa est fragilis subtiliorque quam ut ad Paulsbergium quadraret. Praesidens eam docuit. Nemo credidit in hac causâ iudiciali aliquid mutatum iri. At uxor ubi primum loqui coepit, mutata sunt omnia.

In omni ferê iudicio iuratorum est illud momentum temporis simplex, quo subito omnia clarescant. Putaram eam locuturam esse de viris alienis. At mulier narravit fabulam aliam. Quae locuta est per dodrans horae sine ullâ interruptione, locuta est dilucidê, sine dubio et sine contradictione. Uxor dixit se rem habuisse cum viro altero, Paulsbergium hoc inquirens reperisse. Eum divortium secum facere voluisse. Eum tam vehementer aemulatum esse, ut in insaniam incideret. Se ipsam culpam huius rei contraxisse, non eum. Uxorem dixit maritum invenisse cinema, quod ipsa fecisset cum amasione suo. Uxor apparitori tradidit digitalem discum versatilem. Paulsbergius uxorque talia cinemata saepe confecerant, hoc autem factum erat illo tempore, quo illa convenerat virum alterum, scopocamera iuxta lectum stativo imposita erat. Ab hâc cinemate spectando visitatores sunt exclusi, sed nobis hoc cinema erat spectandum. Talia cinemata inveniuntur innumeris paginis retialibus imposita. Dubium non fuit virum alterum fuisse illum, qui cum uxore Paulsbergii concubuisset.

Actor publicus Paulsbergium observavit cinema spectantem. Is autem mansit quietus.

At actor publicus mendum fecerat etiam alterum. Lex nostra poenalis annos habet plus centum triginta annos. Quae lex est prudens. Interdum res non sic fiunt, ut vult delictor. Finge eius revolucrum esse caricatum, inesse quinque globulos. Virum in mulierem invehit, globulos iaculari, necare velle. Quater ab eâ aberrare, mulieris brachium globulo adstringi tantum. Deinde vir directê stat ante eam. Qui fistulam revolucris impellit ventri mulieris, tendit malleolum, videt sanguinem ad brachium adhaerentem decurrere, videt mulierem angore correptam. Fortasse nunc denuo de re deliberat. Malâ lêge hic vir condemnaretur homicidii attentati, lêge prudenti mulier vult servari. Noster liber legum poenaliū dicit virum impune posse recedere ab homicidio attentato. Id est: Si nunc desinit, nisi illam necat, non punietur nisi propter violationem corporis periculosam – sed non propter homicidium attentatum. Ergo per eum virum stat, quominus condemnatur homicidii, ut a lêge tractetur clementer, si quidem nunc faciat rectum, si victimam suam relinquit vivam. Professores hanc rem denominant »pontem aureum«. Mihi quidem hoc nomen numquam placuit, nam res, quae fiunt in homine talia mente revolventi, sunt difficiliores, nec pons aureus melius quadrat ad hortum sinicum. Sed idea huius lêgis est recta.

Paulsbergius desierat caput viri alterius percutere. Denique non iam voluit illum necare. Ideo recessit ab homicidio attentato, iudices eum condemnare non potuerunt nisi propter corporis violationem periculosam.

Iudices neque Paulsbergii litem contestatam neque testimonium uxoris ideoque causam, quâ ille facinus fecisset, sciverunt redarguere. Paulsbergius a iudicio iuratorum condemnatus est ad custodiam trium annorum sexque mensium.

Uxor Paulsbergium in custodiâ publicâ certis temporibus visitavit, deinde is translatus est in custodiam apertam¹. Duobus annis post causam iuridicam poena reliqua sublata est sub condicione

¹ *custōdia aperta* orig. *offener Vollzug*.

probationis¹. Uxor muneri in grapheo gerendo renuntiavit, et ambo sedem suam transtulerunt in urbem uxoris patriam Slesvigi-Holsatiensem. Ea ibidem condidit parvum grapheum advocationum. Paulsbergius autem tabernis domoque sui venditis coepit photographare. Nuper îdem Berolini primo opera sua exposuit. In omnibus Paulsbergii photographematis apparent mulier quaedam nuda faciei expers.



Primo stimulo erotico sunt perfructi, sed in fine sanguis est effusus: Paulsbergius (*David Striesow*) eiusque uxor (*Bibiana Beglau*).

FINIS

Haec fabula, cuius titulus originalis est „Der Andere“, invenitur in libro, quem scripsit Ferdinand von Schirach: „SCHULD – Stories“. Ungekürzte Taschenbuchausgabe. München (Piper Verlag) 2012, p.69-86.

**FABULAM, C.T. »DER ANDERE«
A FERDINANDO DE SCHIRACH SRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

¹ poenam tollere sub condiçione probatiõnis orig. *die Strafe zur Bewahrung aussetzen.*

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DUODESEXAGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ, 18. m.Mart. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>